

iectam, & tamen ipsi nulla facta consideratione in prædicamento substantiæ ponunt corpus, & quomodo ibi est nisi sit materia ipsa rei; quare non erit congregatio ex duobus actibus, quia corpus non est actus, nec alteratio, quoniam non recipitur forma in materia ætatuata per corpus, esset enim ætatuata per se, id est per matericitatem. Et recipitur in corpore, non vt in actu, forma, sed vt in susceptiuo subiecto. rationes ergo inanes sunt, & logicæ, & negant, quod sensu videmus. Niphus autem; Auerr. is, & Simpl. rationes soluit, sed Peripateticè fingit, sed non negat materiam esse corpus.

Hæc nostra sententia confirmatur testimonio Antiquorum. Stoici, enim corpus dixerunt esse materiam, & hi, quos supra memorauimus. Idem dixit Pericles Lydius philosophus teste Simpl. nec id Galenus negat. idem Auicennas. Megarenses quoque corpus corruptibile esse dixerunt materiam, vt materia ignis sit lignum combustibile, materia sanguinis panis. & Niphus eos defendit in agente potentiam ponens, nos vbique. & Arist. materiam animæ vocat corpus, & in 4. phy. materiam sensibile esse corpus insinuat, idem in 2. de gen. r. 6. & sequ. Ammonius in prædicamento substantiæ dicit materiam quoad existentiam esse corpus, non quoad essentiam, sed existere, & esse, idem esse probauimus in lib. de investigatione rerum, item hæc separatio quantitatis à materia est in mente, & in re non reperitur nisi multiplicitas nominis, itaque secundum veritatem idem sunt.

Nec minus Auerr. dicere tenetur materiam esse corpus. ipse enim dimensiones interminatas corporis congenitas materiæ posuit in de sub. orb. vt saluaret quantitatis factionem, & in 1. phy. com. 63. dicit materiam nunquam à corporeitate denudari, nam tunc haberet formam dantem esse, & nomen. Ex quo infero, quoniam corpus non perdit nomen, ac diffinitionem, dum fit transmutatio, igitur corpus est materia per suam rationem, quæ dicit, compositum amittere rationem, & nomen, non autem materiam. Item vel per dimensiones interminatas intelligit in infinitum extensas, & corporeitatem infinitam, & hic sensus est sibi, & Arist. contrarius nolentibus infinitum dari in rerum vniuersitate, vel corporeitatem habentem terminum, at respectu aduenientis indeterminatam, quia cuiuslibet transmutantis potest terminum suscipere, & hoc verum est, vnde sequitur materiam esse corpus, quæ nusquam visa est, nisi corpus, & suscipit formas Auerr. quia est dimensionata, & materia nunquam absq; corpore sentitur, philosophus verò, vt ipse, ac cæteri dicunt, non abstrahit à materia sensibili, dicent intelligi sine corpore, dicamus intellectionem talem esse falsam, quæ rebus non adæquatur, tum quia veritas est adæquatio rei ad intellectum, vt aiunt, tum quia omnis intellectiua cognitio fit ex præexistente sensitiua apud Arist. & experientia est scientiarum magistra ac confirmatrix, vt dicitur 2. post. c. 17. & 1. metaph.

& intel